



**M**Agogus quoque Nohe ex filio Iapheto ne-  
 pos, eodē ferē quo & Tuisco tempore, post  
 linguarum confusionē cum suis in Europam traie-  
 cit, & Scythicæ ac Gothicæ gentis pater & condi-  
 tor extitit. Is primum in ea Europæa Scythiæ parte  
 imperabat, quæ nūc Finlandiā uocatur, & Gotho-  
 rum regi Orientem siue Tanaim uersus, hodie pa-  
 ret. Postea transmissio Venedici maris sinu in Go-  
 thiam, Scandianæ peninsulæ partem, nauibus ue-  
 ctus peruenit, & eas gentes ex suo nomine Mago-  
 gos uocauit. Hisce postea Græci Scytharum no-  
 men imposuerunt, Latini autē nunc Scythas, nunc  
 Gethas aut Gothos promiscuo nomine appella-  
 runt. Cum autē Magog in hīs locis plurimīs annis optimē regnasset, atq; suos fi-  
 lios ibi præfecisset, ipse tandē, iuxta Nohe & filiorū eius exemplum, ad Nimo-  
 rothū Babiloniorū regē rediit. ab eo cum colonis in Cælosyriā missus est, ubi  
 quoq; regnū & urbem celebrē Magog fundauit, circa annū diluuii centesimū  
 septuagesimum quintū, qui erat creationis millesimus octingentesimus trice-  
 simus secundus. Habuit autem is filios quinque, quorum primus Sueno Sueo-  
 nicæ gentis propagator fuit: secundus Gethar, quem alij Gogum dixere, qui  
 Gethas cōdidit: reliqui tres Thor, German, & Vbbo fideli obsequio seniori-  
 bus duobus fratribus aureo illo seculo inseruierunt. Ber. Ioseph lib. antiq. ca.  
 u. Ioan. Magnus Gothus archiep. Vpsal. lib. 1. Hist. Gothorū & Sueonū cap. 4.